Fragmentarium

men

nitionis. De hominibus bonis. uas
pretiosum labia sapientis. et de
utrisque apostolus ait. sustinuit
in multa patientia uasa ut apta
ire apta in interitum ut ostenderet
diuitias glorie sue in uasa miseri
cordie. que preparauit in gloria.
De gladiis in iezechiel. et ecce
sex uiri ueniebant de uia porte
superioris que respicit ad aquilonem.
et unius cuiusque uas interitus in manu
sua. De uase in hesdra. uasa au
rea mille et omnia uasa aurea et
argentea quinque milia. Acies dicitur
in homine et mentium et oculorum. aci
es dicitur exercitus. ut illud. direxerunt
acies ad pugnandum. contra philistiim
acies ferri ut illud. retunse erant
acies uomerum et ligonum. et triden
tum et securium. Synonima que
et multadica dicuntur nomina. quia
cum una sit res. in substancia. mul
tis nominibus appellatur. ut sunt
hec. terra. aqua. petra. ensis. et his
similia. Nam terra. arua arida.
tellus. humus. rus. unum significant.
Aqua. unda. limpha. latex. fluen
ta. unum significant. Petra lapis
silex. cos. pumex. murex. mar
mor. unum significant. Ensis.
mucro. gladius. framea. alia unum
significant. De patronomicis et
possessiuis. x.

Sunt nomina
que apud nos patrilega. apud
grecos uero patronomica appellan
tur. Nam omnis enim apud grecos
lex dicitur. que nomina a patribus

et ab auis. in filios proprie diriuantur.
et nepotes. ut a iustino iustinianus.
a claro clarinus. et similia. Sunt
alia que a possidendo possessiua di
cuntur. Non solum filii aut
nepotes. sed et omnia que in possessio
ne habentur. ut sunt seruus. ancilla.
famulus. mancipium. ager. uinea. hor
tus et similia. In francorum namque
gotorumque genere. hec patronomica.
species frequentantur multociens. a patre
enim gentili et a teodisca illis eueni
unt lingua. De quibus in exemplo
gotorum pauca primum ponimus nomina.
quorum hec sunt exempla. altanir.
gilanir. ricinir. rannimir. uuiatinir.
uuigemirt. ricimirt. rattimirt. uuil
timirt. et similia. Quorum hec est
in latinum interpretatio. Altanir.
namque uetulus michi interpretatur.
giltinir. debitus michi. Ricinir.
potens michi. Rannimir nitidus
michi. Vuiatinir. uestimentum.
michi. Vuilinimirt. uolens bucca.
Ricimirt potens bucca. Rat
timirt consilium oris. quibus omnibus
si penultimis locis addantur psylla
be. litteraeque mutentur. et locis
ultimis. us syllaba apponatur. In
linguam conuertuntur latinam. hoc est.
Altanirus. gildinirus. ricinirus. rann
mirus. uuiadamirus. uuiglimundus.
ricimundus. radermundus. uuiltimun
dus. et similia. Sicut in hebreorum
nominibus a latinis factum uidemus.
Nam de habraham habrahamus
de iacob iacobus. et de saul saulus.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.22, 4r – Smaragdus, Liber in partibus Donati; Versus de monachis
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-ev0h/5252/49865)